



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

23. An si quis procuraverit abortum foetus animati, sed dubitat de effectu subsequuto, vel an mulier sit mota abortum ex consilio ei praestito, vel à se ipsa, censendus sit irregualris? Et an in ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

RESOL. XXII.

An in dubio utrum factus sit animatus, procedat non solum quoad irregularitatem, sed etiam quoad penas: Ex p. 7. 15. 5. Ref. 25.

§. 1. **R**espondeo procedere tantum quoad penam irregularitatis, non autem quoad alias penas; & ita docet Sanchez in summ. tom. 1. lib. 1. cap. 10. n. 43. & 44. Barbosa de potest. Episcop. part. 3. Alleg. 51. num. 138. Farinac. q. 122. num. 138. quibus adde Fagund. in Decalog. tom. 1. lib. 2. cap. 10. num. 15. ubi sic ait: Hæc autem pœna irregularitatis, quam incurrit ille, qui causam abortui præbet in dubio, an factus sit animatus, intelligenda est solum de privatione quoad suscipiendos ordines, & in illis jam susceptis ministrandi; has enim privationes intrinsecè includit irregularitas, secus verò quoad alias pœnas, quæ à iudice imponi solent pro contracta irregularitate; qualis est privatio beneficiorum, & alie similes: & ratio est, quia pœna ordinaria statuta delicto certo, non est imponenda delicto dubio; sed extraordinaria arbitrio iudicis pro dubij qualitate. Ita ille, qui citat Vasquez, Suarez, Salas, Sayrum, & alios.

RESOL. XXIII.

An si quis procuraverit abortum factus animatus, sed dubitatur de effectu subsequuto; vel an mulier sit nota ad abortum ex consilio ei præbito, vel a seipsa, censendus sit irregularis?

Et an in supradicto casu possit stare dicto persone fide digna, cui datum est consilium, si dicat non fuisse ab eo notam?

Et idem dicendum est de illo, qui dedit consilium, vel mandatum ad delictum, ut ad homicidium, vel Clerici percussorem, &c. Ex p. 7. 11. 5. Ref. 26.

§. 1. **A**d hoc dubium sic respondet P. Thesaur. in Praxi par. 1. cap. 16. In dubio facti de homicidio, vel abortu, si quis applicavit media salubilia ad procurandum abortum, vel homicidium, v. g. si solum mandavit, vel consuluit, vel si prægnanti fecit venæ sectionem sanguinem emitti, & postea non potest certiorari, an res habuerit effectum; tunc in dubio non est censendus irregularis, quia non proceditur contra quendam ad pœnas nisi constet de corpore delicti l. 1. §. item illud sciendum, ff. ad Syllan. Ofach. decis. Pedem. 42. Menoch. de arbitr. cas. 45. 2. n. 20. & procedit tam pro foro externo, quam interno Sanch. loc. cit. in Decalog. 6. 10. n. 44. lib. 1. Navar. cons. 47. de homic. Quaranta ver. Abortus, §. nota per hanc. Barbosa alleg. 51. n. 1. 9. Si autem applicata fuerint media efficacia, & communiter effectum trahentia debet iudicari, & irregularitatem, & alias pœnas juris incurrisse, ut Navar. ibi. Quia licet facta in dubio non præsumatur falli, quando sunt solita fieri: ut l. ult. C. de fide instrum. Mascard. concl. 732. n. 5. & 7.

2. Secundò, si constat de corpore seu materia delicti, sed dubitatur quis, an habuerit sufficientem advertentiam tunc in dubio censeri debet pœnas juris incurrisse: quia licet in actibus internis faciliè præsumi possit subreptio, & inadvertentia, non autem in actibus externis graviter malis, quia actus externi ex natura sua cum sint valde sensibiles, & non momentanei, solent excitare mentem ad sui considerationem; & quia membra externa non moventur, nisi per rationem superiorem. Ita Less. lib. 2. c. 7. n. 19. cum S. Thoma.

B b 3

3. Tertiò,

num susceptionem, & administrationem quam intrinsecè includit irregularitas. Secus verò quoad alias pœnas quæ à iudice solent imponi pro contracta irregularitate, ut beneficiorum privationem, & similes, cum pœna statuta delicto certo non sit imponenda delicto dubio, sed extraordinaria pro qualitate dubij. Vnde Novarius in summ. Bull. 10. 2. tit. de Abortu, n. 20. sic ait: Amplia quintò ut in dubio an factus fuerit animatus, vel inanimatus, debet Clericus se reputare irregularem, Sanch. in libro 1. Decalog. cap. 10. numero 43. Vnde si ex signis materiæ ejectæ, vel ex die coitus, vel aliunde id non possit deprehendi, ita ut excludatur omnis dubitatio, stante dubio de animatione factus, debet se reputare irregularem, solum quoad ordines non recipiendos, vel in illis non ministrandum; hæc enim duo non potest admittere, seu facere, quoniam hæc duo intrinsecè, & clarè includuntur in irregularitate; At iste irregularis non tenetur se reputare irregularem quoad alias pœnas annexas irregularitati, qualis est privatio officij, & beneficij, & inhabilitas ad hæc duo: nam pœna ordinaria statuta delicto certo non est imponenda delicto dubio, sed extraordinaria pro dubio; imponitur verò irregularitas etiam delicto homicidij dubij. Ita Sanch. loc. cit. num. 45. ubi num. 4. ponit exemplum de eo, qui dubitat, an consilium à se datum fuerit causâ homicidij, vel abortus, eo quòd facta diligentia, manet dubius adhuc, an alter habuerit animum faciendi etiam absque illo consilio, & resoluit stante tali dubio, debere se reputare irregularem modo supradicto. Hæc omnia Novarius.

3. Sed pro negativa sententia ego adduxi in part. 4. p. 2. ref. 16. Mouram, Præpositum & alios. Vnde novissimè Machadus de Perfecto Confessario tom. 1. lib. 2. part. 3. tr. 17. docum. 10. num. 3. sic ait: [La segunda Question es, si el que esta con duda, si la criatura que por su causa se aborta, estava animada, ò ne se deve tener por irregular? La mas comun y recibida opinion es, que si; fundase en que el que fue causa del aborto, esta con duda de si cometiò, ò no homicidio, y en caso de tal duda, expressemente esta dispuesto por el derecho Canonico, que se deva tener por irregular. No obstante, que la contraria opinion defienden Doctores, de no poca autoridad: el fundamento que tienen es, porque por sola razon de duda no queda irregular el que aviendo hecho de su parte lo que buenamente pudo, para salir de la duda, se quedò toda via con ella. Ni tam poco el tal queda irregular por la disposicion del Derecho referida, que ordena, que en el homicidio se deva tener por irregular el que estuviere dudoso, si le cometiò, à no; porque si bien se consideran los dichos textos, no comprehenden este caso, pues presuponen el sugeto capaz de muerte; y assi la duda entonces no viene à ser sobre si era vivo, ò no el sugeto, sino de si le matò, o no el que està dudoso. Mas la duda de si la criatura estava animada, ò no, es acerca de la condicion del sugeto: conviene à saber si estava vivo, ò no, con que viene à ser, que ya la irregularidad dispuesta por el Derecho en caso de duda del homicidio cometiò, no aya lugar en la duda, de si la criatura estava animada ò no; por ser principio, que el mismo Derecho nos enseña, que la irregularidad, que no estuviere expresse en el, no se deve admitir.] Hucusque Machadus.

4. Verum affirmativa sententia est communis, quam me citato tenet novissimè Barbosa de Potest. Episcop. part. 3. Alleg. 51. num. 141. & Baupius in Theolog. Mor. tom. 2. tr. 11. q. 32. quibus etiam adde Molin. de Iust. tom. 3. disp. 27. n. 4. Megalium in Prompt. tom. 1. ver. Abortus, n. 3. Coriolanum de Casu reserv. par. 2. Cas. 6. n. 3. Calsensem in Cursu Theol. tom. 2. tr. 25. disp. 5. sect. 8. n. 54. & Avil. de Cens. part. 7. disp. 2. dub. 5.

Tom. V.

Sup. hoc in
tom. 8. tr. 5.
Ref. 88. & in
alris ejus
primæ an.

3. Tertiò, si quis consilium, vel mandatum dedit ad delictum, vel ad homicidium, abortum, vel clerici percussorem, &c. Et constat de corpore delicti, seu effectu sequuto, sed dubitat, an ille motus sit à sua cooperatione, seu consilio, vel mandato, an verò aliàs id principalis esset facturus; tunc in dubio præsumptio est contra ipsum, & censetur penas incurrisse, Sanch. lib. 1. cap. 10. num. 44. prope fin. Farinac. quest. 129. numero 140. Sayr. lib. 7. cap. 3. num. 2. Imò etiam si executor dicat se aliàs fuisse facturum, non est ei facillè credendum, ut Farin. num. 152. Nisi adint aliæ conjecturæ infringentes talem præsumptionem, ut gravis inimicitia præcedens, vel si protestatus jam fuerat se facturum, aut se jam præparaverat ad illud, Farin. num. 129. cum multis Doctores, & num. 143. cum seqq. Aliqui tamen dicunt dari posse dicto illius, si sit persona aliqua fide digna, & non adint aliæ conjecturæ contrariæ. Henrich. lib. 14. cap. 16. n. 3. Sayr. de Consil. lib. 7. cap. 3. n. 2. Sanch. n. 44. in fin. Avila p. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 3. concl. 5. Hucufque P. Theaur.

Sup. hoc in
Ref. not.
præteritæ, & in
Sed an. & in
aliis ejus an.

4. Igitur dicendum est, quòd si quis procuravit abortum, sed dubitat de effectu subsequuto, non sit censendus irregularis. Et si dedit consilium, ego puto posse stare dicto personæ fide dignæ, cui datum est consilium, si dicat, non fuisse ab eo motum: verum circa præsentem Quæstionem, ne deferat videre Fagundes in Decalogum, tom. 1. lib. 2. cap. 10. num. 16. 17. & 18.

Sup. hoc in
S. annot. præ-
teritæ, & in
aliis ejus
not.

RESOL. XXIV.

An sit irregularis, qui non potuit dimovere feminam à consilio dato de abortu faciendo? Ex part. 4. tract. 2. Resol. 15.

Sup. hoc in
Ref. seq. &c.

1. Affirmativè ex Navarro & Corduba respondet Avila de censur. part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 4. concl. 3. quia, ut dictum est in superiori resolutione, non sufficit revocare consilium ut evitetur irregularitas si in effectu mors ex dato consilio sequatur. Adde quod aliqui addunt quòd si consulens non potest occidendum monere de periculo, adhuc remanet irregularis: sed hoc accidit in casu nostro; ergo, &c. Et in hanc sententiam docet etiam doctus Petrus Cornejo in 3. part. tract. de irregular. disput. 1. dub. 2. quest. 2. num. 3.

* Quæ nunc
est sup. in tr.
Ref. 114.

2. Verum non reticeam contrariam sententiam docere Henriquez libro 14. capite 16. numero 5. & in gloss. litt. O. ubi sic ait: Non sit irregularis Clericus, qui conjugatam dissuadere non potest à consilio abortu dato, quia factum est præmonuisse infantem in matre sua ut moneri potuit. Ita ille, cujus sententiam ipse testatur docuisse aliquos recentiores. Sed asserit Avila quòd illa monitio infantis in matre nullius est momenti, siquidem infans in utero nullo modo potest se liberare; possit tamen quis dicere, quòd in tali casu consulens ut avertat homicidium facit quod facere potest, & idè Villalobos in summ. tom. 1. tract. 21. diff. 20. num. 8. rectè notat: [Que el Consejo no es meramente causa natural, que ponga necesidad física como el veneno, sino solamente es causa moral, y por esto si el consejero hizo lo que moralmente pudo y devia hazer para impedir el efecto es visto haver quitado la causa y así nose le imputará el homicidio.] Ita ille, qui citat Suarez. His tamen non obstantibus contra Henriquez ante Avilam docuit affirmativam sententiam Sayros libro 7. capite 3. numero 5. in fine. Verum Navarra & Præpositus, quorum doctrinam probabilem putat Lessius, ut visum est in superiori resolutione, dixerunt sufficere consulentem revocare

Quæ hic est
sup. in tr. 5.
Ref. 114.

tantum mandatum, & non monere occidendum; sed hoc accidit in casu nostro, ergo. Adde quod supra probabiliter dictum est, quòd non impediens homicidium ad quod tenetur de iustitia, non est irregularis; ergo, quanto magis in casu nostro, in quo impedimentum fuit præstitum. Vnde sententia Henriquez probabilis mihi videtur, sed primam puto probabiliorem & tutiorem.

RESOL. XXV.

An qui dedit consilium de abortu faciendo, si non potuit dimovere feminam à consilio dato, incurrat censuram, si irregularitatem? Ex p. 7. tract. 5. Resol. 29.

1. Affirmativam sententiam nominatim contra me tenet novissimè Eminentiss. Cardin. de Lugo de Justit. tom. 2. disp. 19. sect. 2. §. 2. num. 39. & alij penes ipsum. At ego non discedo à negativa, quam docui in part. 4. tract. 2. resol. 15. Et novissimè illam docet Steph. Baunius in Theolog. moral. tom. 1. tract. 11. quest. 27. ubi sic ait: An revocato consilio, qui suavitè liberetur à scelere, controversantur Doctores. Affirmativa Navarr. placet, cap. 27. summ. Majol. cap. 48. Comit. resp. lib. 4. quest. 10. P. de Navarra lib. 3. cap. 4. num. 27. Portello in dub. verb. homicidium, num. 12. nam quid ab eo exigi præterea debeat, ac possit, non est facile dicere, quam in alterius exitium, male consultus telam texuerat, auram meliorem afflatus à celo reterit, quid ab eo si ipsa supernè in terras laberetur æquitas, amplius postuleret? hæc illi conjectura probabilis, ad fidem non absonè.

2. Quæ tamen à Lessio non probantur, lib. 2. de Just. cap. 13. dub. 3. num. 16. negat enim ad culpæ fugam consulenti satis esse, si quæ ipse consuluit, revocet, instilletque noluit, utpote prohibita legibus, nisi etiam opposita persuadeat. V. C. suasit quis amico ut litrem contra factum & æquum vicino intendere, si pecuniam quam mentitur sibi debitam, denegeret, eidem vim faciat, & re id esse; enim verò si contemni se sciverit, honoris se, ac famæ factum alicui, proinde audendum esse, quod metuatur dedecus, vitæ alienæ periculo redimendum esse. Contendit hic Auctor, ad officium boni viri consulenti satis non fore, si se deceptum asserat, si contra quam prudentia postulabat ac charitas, de vi inferenda fortunis, aut vitæ alienæ, iniqua se ac turpia dedisse consilia dicat, nisi quam habet anticipatam animo voluntatem ea faciendi, oppositis rationibus abstergat, ac dissipet. Et hoc firmamentum ejus præcipuum, quod ostensione commodi, honoris, aut famæ, sibi ex hoc grandi, vastoque facinore conciliandæ in populo, consulens, ejus voluntati, quam est consiliis suis ad illum patrandum aggressus, fortes acriterque ad malum stimulos addidit, qui stimuli perseverant hand dubie, manentque, quâdiu eorum incitatus motivo (ut aiunt) conceptum scelus vult profèqui, ex quo sequi ait Lessius, quòd cum sit consulens, hujus voluntatis auctor, ac causa: fore quoque & effectus, id est, necis, damni, ac proinde, veri speciem habere, extra irregularitatis periculum consulentem non fore, si dati consilij revocatione mera, solâque contentus non id agat, ut in contrarium instillet ejus animum cui auctor sceleris admittendi fuerat.

3. Et hæc sententia probabilis, prior tamen tenenda in praxi, ratio est, quod quando id consulens eveniret, faceretque pro viribus, ea ut iniqua, malâque esset parerent omnibus, nec sequenda, non videtur horum executor, illis moveri agique amplius, sed improbare sua, damtaxat, ac malitia, Hucufque Baunius.